

Quid hoc
libro sub
nomine
Mundi in-
telligendum
sit.

Nos autem mediam viam sectantes, intelligimus in hoc tractatu Mundum saltem de Sole ejusque maculis, ut & de Planetis (inter quos simul Tellurem referimus) eorumque sociis (quibus & Lunam annumeramus) unà cum spatio isto ingenti intermedio, quod capit hunc Mundum.

Est itaque Mundus Astrorum Synodus, ut paulò post sequitur.

De dispositi-
one Cor-
porum hu-
jus Mundi.

Hoc posito, quæstio principalis oritur de coordinatione & locatione dictorum horum Corporum Mundanorum.

Ubi quidem 1. dubium non occurrit, quin *Saturnus* sit extremus Planeta; illum sequatur *Iupiter*, & hunc *Mars*. 2. Nullum quoque dubium est, quin *Maculæ Solis* sint omnium Soli propinquiores; deinde *Mercurius*: quem proximè sequitur *Venus*. 3. Nullum quoque dubium est, quin *Luna* omnium propinquior *Terræ* sit. Sed an *Sol*, unà cum Maculis ut & *Mercurio* & *Venere* tanquam sibi proximis astris, locandus sit post *Martem*? an verò *Terra* ibi cum *Luna* locanda? de hoc disputatur: Nam si *Sol* post *Martem* statim locetur, tunc *Terra* erit centrum hujus Mundi: sin autem *Terra* post *Martem* unà cum *Luna* locetur, tunc *Sol* erit centrum hujus Mundi.

Vid. Iconism. IV.

Depingamus itaque, sine præjudicio hujus vel illius, delineationem in charta, quæ charta referat spatium illud ingens, quod capit hunc mundum, in qua distribuemus & ordinabimus Corpora hæc Mundana, prout ratio suppeditabit.

Ac initio *Terram* in medio præterpropter hujus chartæ collocabimus, in *a*. Deinde assignemus *Soli* alterum locum, intervallo quantolibet à *Terra* remotum, in *b*. *Soli* proximiores sunt *Maculæ c, c*; item *Mercurius d*, & *Venus e*, quorum Planetarum orbitæ, *Solem* ambiunt, & proinde necessario circuli eorum *c, c, d, e*, circa *Solem* ducendi & intra scilicet *Martis*, *Jovis* & *Saturni* sphaeras ponendi erunt.

Quia autem *Mars*, quando *Soli* oppositus est, multò major à nobis adspicitur, quam quando conjunctio-

ni propinquior (eædemque apparentiæ observantur in *Jove* & *Saturno*, licet multò minori diversitate in *Jove*, quàm in *Marte*, & adhuc minore in *Saturno* quàm *Jove*) sequitur, hosce Planetas tres non circulariter circa *Terram*, sed propriè circa *Solem* moveri, consequenter eorum circulos, magis circa centrum *Solis* accommodari, quàm circa *Terram*: hæc enim diversitas adspectus clarè indicat, *Terram* non in centro horum Planetarum consistere, nisi velimus *Eccentra* illa fingere (de quibus *lib. 1. cap. 4.*) ac his, tam perfectis corporibus Mundanis, irregularitates attribuere, quod omni rationi contrariatur.

Sunt itaque adhuc circa *Solem* ducendi: *Circulus Martis f g*, qui necessario *Terram* unà cum *Luna* includit, ubi *Mars* in puncto *f* *Terræ* proximus & *Soli* oppositus, in puncto *g* autem *Soli* conjunctus. Item *Circulus Jovis h i*, ubi *Jupiter* in puncto *h* *Terræ* proximus & *Soli* oppositus, in puncto autem *i* *Soli* conjunctus. Ac denique *Circulus Saturni k l*, ubi *Saturnus* in puncto *k* *Terræ* proximus & *Soli* oppositus, in puncto verò *l*, *Soli* conjunctus.

Restat jam ut *Lunæ* locum assignemus, qui nullus alius esse potest quam *Terræ* proximus, ita ut orbita ipsius *Terram* complectatur, seu circulus ejus eam ambiat, cujusmodi est *m o*.

Ultimò, *Terræ* unà cum *Luna* necessario attribuendus est circulus *m n*. Atque sic (nisi velimus *Tychonis Brahe*i statuere *Solare Systema*, cujus tamen contrarium *lib. 1. cap. 9.* & *infr. cap. 16.* & passim, satis ostensum est) sine omni proposito, Planetis unà cum *Terra*, motum *Lationis* circa *Solem* attribuimus, & *Solem* in medio absque motu *Lationis* relinquimus.

Si itaque hoc sit verum *Systema* hujus Mundi Planetarii, tunc stellæ Fixæ omnes immotæ remanent: si immotæ remanent, nulla ratione seu probabili fundamento in superficie aliqua Sphærica æqualiter à *Sole* nostro distante; sed potius per immensas infiniti spatii abyssos, in diversis à quocunque determinato puncto distantis, collocandæ erunt.

At-

Sol à Natura locatur in medio hujus Mundi.

Stellæ Fixæ sunt immotæ neque in sphaera constitutæ.